



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA KONGOLOËNSIS ET ALIARUM  
(MANOËNSIS)\* DIVISIS DIOECESIBUS KONGOLOËNSI, BALDUINOPOLITANA ET KILWAËNSI, NOVA  
DIOECESIS CONSTITUITUR «MANOËNSIS» COGNOMINANDA.** Qui regno Christi tum servando tum propagando  
praepositi sumus, nihil sanctius umquam in officiis Nostris habuimus, quam ut catholicam fidem in populis prorogemus  
usque ad ultimum terrae, divinae gratiae rore favente. Quam ob rem cum ad christianam religionem intendendam,  
Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione, post auditos venerabilem Fratrem Brunonem Torpigiani,  
Archiepiscopum titulo Mallianensem. et Apostolicum in Congo Nuntium necnon Ordinarios quorum intererat, visum esset  
bene fieri, si divisis dioecesibus Kongoloënsi, Balduinopolitana et Kilwaënsi nova in eorum finibus conderetur, Nos hanc  
sententiam in omnibus confirmantes et ratam habentes, Nostra suprema potestate haec statuimus atque iubemus. A  
dioecesibus Kongoloënsi, Balduinopolitana et Kilwaënsi territoria separamus vulgo appellata Manono et Malemba-Nkulu;  
quibus omnibus novam constituimus dioecesim Manoënsem cognominandam atque archidioecesi Lubumbashiensi  
suffraganeam. Huius dioecesis erit caput atque Episcopi domicilium urbs vulgo Manono in qua cathedra episcopalis  
potestatis collocabitur; concedimus autem ut pro Canonicorum Collegio Consultores dioecesani deligantur, Episcopum  
consilio et ope ad iuris normas iuvaturi. Ceterum haec omnia quae mandavimus ad exitum adducat venerabilis Frater  
Bruno Torpigiani, quem diximus, vel quem ipse delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera  
exempla ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione quam primum mittantur. Hanc vero Constitutionem  
nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est  
religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficitati nulla, cuiusvis generis, contraria  
praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae  
documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive  
manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint  
subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae apud S. Petrum, die  
vigesimo quarto naensis aprilis, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri octavo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

AGNELLUS Card. ROSSI

S. R. E. Cancellarius

S. Congr. pro Gentium Evangelizatione sec de Propaganda Fide Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regenslophus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Protonot. Apost.*

Iosephus Massimi, Protonot.

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXIII (1971), n. 11, pp. 807-808 © Copyright 1971 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana